

XXI MARS MCXVIII.

In nomine Domini, Ego, Valeranus de Britolio, concedo ut Ecclesia Sancti Quintini, jure perpetuo habeat Altare de Tils, quod Garnerius de Sancto Pantaleone, tenebat de me in feodo.

Hoc idem concessit in mea præsentia, Ebrardus, filius meus, et filia mea, Emelina, apud Bonolium, in domo mea.

Nomina eorum qui interfuerunt: Guillelmus, Abbas Sanctæ Mariæ de Britolio, Guibertus, monachus, et cæteri monachi Sancti Nicolai de Bonolio.

Actum anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo decimo octavo, duodecimo Kalendis Aprilis, indictione duodecima.

MCXIX.

Pastoralis est sollicitudinis, Bona Ecclesiastica injuste a laicis possessa, revocare, et juxta decreta Sanctorum Patrum Synodi Remensis Clericorum Ordini, vigilanti providentia, restituere.

Ego igitur, Petrus, Dei gratia Belvacensis Episcopus, notum fieri volo, tam futuris quam præsentibus, quod Valeranus de Britolio, præsente Domino Ludovico, Rege Francorum, reddidit mihi Altare de Mormesuns, quod a prædecessoribus meis Episcopis in feodo tenuerat.

Cujus postea precibus assensum libenter accommodans, donavi prædictum Altare, Canonicis Sancti Nicolai de Bonolio, salvâ justitiâ Belvacensis Ecclesiæ, et messe Presbyteri Parrochiani.

Quod nostri impressione sigilli, consilio fratrum nostrorum, personarum scilicet Ecclesiæ nostræ, corroboravimus.

Nomina eorum qui interfuerunt et laudaverunt: Gosselinus, Decanus; Rogerius, Archidiaconus; Henricus, Archidiaconus, in cujus Archidiaconia erat prædictum Altare; Hugo, Cantor; Stephanus, Cancellarius Regis.

Actum Belvaci anno Incarnati Verbi millesimo centesimo decimo nono, indictione septima.

Pierre gravée dans le pilier entre nef et transept : bulle du pape Léon IX, 1049.

IVR32_20246000275NUCA
Auteur de l'illustration : Marc Kérignard
Date de prise de vue : 2024
(c) Région Hauts-de-France - Inventaire général
reproduction soumise à autorisation du titulaire des droits d'exploitation